

Petrus de Vinea

*Ep. V 127 (Quia sicut ex relatione
T. de ..., sacri Imperii...)*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Petrus de Vinea

*Ep. V 127 (Quia sicut ex relatione
T. de ..., sacri Imperii...)*

1243-1248

Fidelibus suis, commendans eos de fide et animat eos in ipsa.

1. Quia sicut ex relatione T. de ..., sacri Imperii in Romangia capitanei generalis, dilecti fidelis nostri, nuper accepimus, et nos etiam ex operum laudabilium testimonio certi sumus, quod circa seruitia nostra diligenter intenditis et honorem nostrum efficaciter procuratis, digna uos laude prosequimur, et nostri fauoris gratiam tanto uobis hylarius pollicemur, quanto, presentium negotiorum et temporis tempestate pensata, gratiora nunc nostrorum fidelium obsequia reputamus.
2. Deuotionis itaque uestrae constantiam, de qua plene confidimus, animamus attente, quatenus sic circa omnia, quae honoris nostri commoda et rebellium nostrorum confusionem respiciunt, more solito robur et animos excitetis. Quod uestrae deuotionis integritas de bono semper in melius clareat coram nobis, et ad compensandam fidem uestram dignis retributionibus premiorum nostrae munificentiae dextera quasi per debitum inducatur.